

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Expositio Quarti Psalmi Pœnitentialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](#)

scunt, hunc in se contra se eretti deprehendunt. Cogitemus ergo & nos pro peccato nostro, & amara illud pœnitentia invectione persequamur: ne dum culpas nostras pensare negligimus, peccati pondus per negligentiam augeamus. Sequitur:

XX. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me inique.*

Occulti dispensatione consilij, conditor noster & culpas mortalium inspicit, & spatia vitæ disponit; ut diuturnæ vitæ tempora quibus justus utitur ad bene operandi auxilium, iniquis accipiat ad damnationis augmentum. Si enim accepta quis pœnitentia tempora divertit ad culpan, districthus cum venerit judex, indulta misericordia spatio convertit ad pœnam. [*Et confirmati sunt super me.*] Ad hoc namque omnipotens Deus aliquando perverbos patitur diutius vivere, ut & ipsi male viventes prava quotidie opera augeant, & contemptores sœculi ex eorum nihilominus persecutione clarescant. Qui fastu superbia tumentes, eò se gravius adversus eleatos erigunt, quòd in mundo eis cuncta ad votum succedunt. Nec intelligent, quòd in vita sua plerumque bona mali recipient, & ideo eos aut raro, aut numquam adversa conturbant. Nam & iniquatum suarum fautorum perditos quoisque eò citius iij tales inveniunt, quòd mundi gloriam quaestu & munieribus querunt. Unde & subditur: [*Et multiplicati sunt qui oderunt me inique.*] Nihil est iniquis, quād odiū pro dilectione rependere, mala pro bonis retribuere, pro correptione injurias respondere. Quod plerumque mali faciunt, cùm justos qui eorum salvationem appetunt, execrabilis nequitia percutiōnibus affligunt. Atque ideo subjugunt:

XXI. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebat bonitatem.*

Qui reddit mala pro malis, bonus non est. Qui non reddit bona pro bonis, ingratus est. Qui autem reddit mala pro bonis, iniquus est. Solent namque pœrditi homines bene viventibus invidiosè detrahere, aut notam eis excogitati criminis infigere, aut pura vitæ innocentiam, simulationē vocare. Quare autem hoc faciant, ostendit cùm ait: [*Quoniam sequebat bonitatem.*] Bonitatem sequitur qui Christum imitatur. Cujus imitatores tantò, in hac vita graviora tentatione perferunt, quanò longius corde à mundo discidunt. Dicit enim Apostolus: *Omnis qui pie voluit vivere in Christo, persecutionem patiatur.* Et alibi scriptum est: *Multa tribulationes iustorum.* Iusti namque qui ea quæ Dei sunt, tota intentione desiderant; & supra mundum facti, mundana omnia quadam virtute dominationis conculant, non solum in occulto cordis diabolicas infestationes tolerant, sed etiam perversorum malitiam decoru conversationis inflammant. Verum quia ad superandū nullus inventur idoneus, nisi qui fuerit virtutis divina fortitudine roboratus, qui persecutorum flagellis exteritur, qui detrahenit dentibus mordetur; præsentem & auxilium divinae majestatis expofult, ut ejus fultus prefigio, contra omnia quæ patitur adversa convalescat. Ait ergo:

XXII. *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.*

Ilos proculdubio Dominus relinquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit. Necessariò enim sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicunque à Deo fuit derelictus. Qui ergo tenta-

A menta diaboli metuit, qui pati in hoc sæculo adversa pertimescit; ad Deum tota virtute se convertat: clamet ad Deum medullis cordis, & dicat: [*Ne derelinquas me Domine Deus meus.*] Quod verbum si cum affectu & desiderio sape replicare studuerit, puto quòd quandam in eo dulcedinem sentiet, quam sermo noster explicare non valet. Sequitur: [*Ne discesseris à me.*] Sancta anima quæ solum Deum perfectè desiderat, precatur ut nec ad horam Deus ab illa discedat. Novit enim quia inter inimicos gradit: novit quia omni tempore diabolus sibi adverfatur. Quia ergo omni tempore intelligit sibi imminere pericula, etiam momento temporis non potest esse secura.

B *Intende in adjutorium meum, Domine Deus XXIII. salutis meae.*

Quasi dicat: Tu qui es adjutor in opportunitatis bus in tribulatione, noli me velut alienum neglige, noli velut extraneum abdicare: immo [*intende in adjutorium meum.*] tuque me inter lethifera temptationum jacula protege, tu ab omni inimicorum incursione defende, tu in corde meo intelligentia lucem illumina, tu me auxilio tuae virtutis circumda: Quod bene debes facere; quia [*tu es Dominus Deus mens.*] Te enim solum habeo Dominum, te solum confiteor Deum. Congruum ergo videtur, ut qui es restitutor salutis in primo parente perditæ, sis & conservator ejusdem in me per gratiam restitue.

**C PROOEMIVM QUARTI PSALMI
Pœnitentialis.**

Nota est historia de qua titulus iste sumptus est. ^{2. Reg.} David enim captus pulchritudine Bethsabee uxoris Uriæ, non solum cum ea carnaliter coit, sed etiam occiso viro eam sibi in conjugium copulavit. Postea vero cùm venisset ad eum Nathan propheta, cumque suo iudicio, inducta de oibis similitudine, condemnasset, non solum peccatum cælare vel defendere noluit, sed etiam confessus quod fecerat, ad dura pœnitentia lamenta convertit. In Psalmo tamen nulla fit de historia mentio, sed magna cognoscitur animi dolentis affectio. Admonemur autem in hoc Psalmo prolera mettere, & contra omnem sœculi felicitatem acris vigilare. Sæpe namque praesentia gaudia sequuntur perpetua lamenta. Sicut enim per fletus ad gaudia ducimur, ita per gaudia ad fletum pervenitur. Ille nempe qui dixit: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur;* ipse met ait: *Vale vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis.* Quis sanctior David: qui cùm Saulis persecutionibus urgeretur, non solum perlequentem occidere non voluit, sed ipsi persecutori, cùm ipsum occidere posset, pepercit. Tanto enim in Dei misericordia spem suam fixerat, quanò miserabilius infirmitatem sua tribulationis sentiebat. Verum ubi devictis hostibus, pressuris caruit, homicidium adulterio incaute fecerunt adjectit. Admonemur etiam in hoc Psalmo carnales cupiditates restringere, & de Dei misericordia numquam desperare. Quisquis ergo desperans de venia, agere pœnitentiam dubitat, David pœnitentiam ad animum reducat. Audiamus & nos David clamantem, & nos cum eo clamemus: gementem, & congemiscamus. Audiamus flentem, & collacrymemur: correctum, & collatemur.

**E XPOSITIO QUARTI PSALMI
Pœnitentialis.**

Miserere mei Deus secundum magnam ^{PSAL. I.} misericordiam tuam.

Ponamus ante mentis oculos aliquem graviter vulneratum, & vix jam ultimos hujus vitalis aurae

I. I. b. trahentem anhelitus, qui & nudus in sterquilinio A jaceat, & vulnus nondum ligatum ostendat, adveniens medici desiderio cōfici, & agnitus ut sui misereatur precari. Vulnus enim animæ peccatum est; de quo dicitur: *Vulnus & livor, & plaga ruminens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec forá oleo.*

2. Reg. 12 d. Agnosce interius vulnera medicum tuum, & ei peccatorum tuorum vulnera detege. Audit cordis tui gemicum, cui omne patet cogitationis arcanum. Moveant illum lacrymæ tuae, & quadam illum importunitate querendi, semper ad eum alta de profundu cordis lufpiria educito: perveniat ad eum dolor tuus, ut dicatur etiam tibi: *Transfluit Dominus peccatum tuum.*

Lac. 10. f. Clama cum David; vide quid ipse dixerit: [*Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*] Quasi diceret: Ingenti vulnera periclit, quod nullus medicorum curare valeat, nisi medicus ille qui est omnipotens, succurrat. Omnipotenti enim medico nihil est insanabile; qui sicut medetur sine pretio, ita salutem restituit verbo Desperarem ergo de vulnera, si non præsumerem de omnipotente. [*Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*] Quarant parvam misericordiam, qui ignoranter contrahunt culpam. Ego autem sicut graviter cecidi, ita etiam scienter peccavi. Sed tu omnipotens medice & contemptores corrigis, & neficientes instruis, & confitentibus ignoscis. Utinam Domine Jesu ad me misericordia motus digneris accedere, qui descendens ab Hierusalem in Hiericho, proruens scilicet de summis ad infima, de vitalibus ad infirma, in angelos tenebrarum incidi, qui non solum gratia spiritualis mihi vestimentum abstulerunt, sed etiam plagiis impositis semivivum reliquerunt. Utinam peccatorum meorum vulnera, datâ mihi recuperanda salutis fiduciâ, alliges, ne deterius sanguiniferae si sanari desipient. Utinam oleum mihi remissionis adhibeas, & vinum compunctionis infundas. Quod si in iumentum tuum me imposueris, de terra inopem, & pauperem de stercore suscitabis. Tu es enim qui peccata nostra pertulisti, qui pro nobis que non rapueris exsolvesti. Si in stabulum me Ecclesiae tua duxeris, corporis & sanguinis tui me refectione cibabis. Si curam mei egeris, nec præcepta tua prætero, nec frementium rabiem bestiarum incurro. Custodiâ enim tuâ indigeo, quamdiu carnem hanc corruptibilem porto. Audi ergo me, Samaritane, spoliatum & vulneratum, flentem & gementem, invocantem, & cum David clamantem: [*Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*]

II. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Psal. 110. a. Peccata mea magna sunt & multa, & ideo non solum magnam misericordiam expero, sed etiam multitudinem miserationum tuarum requiro; ne pro aliis quod metuo subeam supplicium, si unum solum non deleret peccatum. Per misericordiam, misericentis affectum intelligimus; per miserationem vero, ipsam misericordia exhibitionem signamus, iuxta quod scriptum est: *Misericors & miserator Dominus.* Superfluum enim esset utrumque posere, nisi esset varietas in significacione. Scire debemus quia nemo est insanabilior eo, qui sibi sanus videretur. Illud enim est clarum venturæ salutis indicium, siincipit homo cognoscere semetipsum. Semetipsum autem David cognoscebat, cum multitudinem miserationum querebat. Dicat & peccator cum eo: [*Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.*] Immensas & innumerabiles mundo exhibuisti misericordias, quando genus humaanum de servitute diabolice tyrannidis eripisti, & à peccatis suis in sanguine tuo electos tuos lavasti. Laveri sanguis iste peccatorum meorum maculas, qui

Apoc. 5. b.

totius mundi poruit delere offensas. Non postulo à te aurum, non lapides pretiosos, non laboribus & naufragis exquita commercia, non peregrinas merces de remotis terrenarum regionum multo ad nos discrimine delatas, quæ etiam fortium saepe virorum mentes effeminant, & falsæ pulchritudinis imagine illeæ captivant: verum quod omnibus his est præstantius & pretiosius, remissiorem peccatorum expeto. Quæ tunc vera esse probabitur, si addito fructu penitentia, gratia tua muneribus cumulatur. Quid enim mihi prodest malorum quæ feci impunitas, nisi etiam bene operandi subsequitur facultas?

Amplius lava me ab iniquitate mea, et à peccato meo munda me. III.

Quid iniquius, quām alienam contrectare uxorem? Virum ejus nec scientem nec lacrymantem occidere: Et hoc quidem fecerat Propheta de gregibus ovium sublatius, de post ferantes ad regni gubernacula assumpsit, corporis fortitudine præditus, spiritualis gratia donis illuminatus. Qui tantò gravius ceciderat, quantò celsius & regni gloria & excellentiæ virtutum ceteris præcinebat. Gloriæ namque præcedens præconium, sequentis culpa adauxit reatum. Tantò enim quicque gravius corruit, quantò antequam caderet, in conspectu Dei altius ascendit. Dicat ergo: [*Amplius lava me ab iniquitate mea.*] Profit mihi Domine quid cecidi: laventur cum haec macula nota delictorum, quas haecenus neglexi. Sæpe namque dum quadam male gesta plangimus, ipsa vi amaritudinis ad discutendos nos excitati, alia in nobis plangenda invenimus. Quia admissa eò facilius oblivioni tradimus, quod ea vel nulla vel levia putamus. Sed succrescens amaritudo penitentia, non solum majora peccata cordi nostro congerit, sed etiam minima quæque ad memoriam reducit. Quia omnia tantò obstinatius prosequimur, quanto omne malitia germin vigilantiù extirpare de corde conanum, Lavatur ergo amplius, cui non solum quod in se punit peccatum dimittitur, sed etiam alia quæ obdixerat oblivio, nihilominus delentur. Aquæ, quibus diluitur iniquitas, dona sunt sancti Spiritus: quæ quasi torrens de supernis venientia, sicut electorum corda ut germinant irrigant, ita etiam ab omni inquinamento carnis & spiritus emundant. De hoc quippe torrente scriptum est: *Fluminis impetus laxificat civitatem Di.* [*Et à peccato meo munda me.*] Inquinavit me " facinorum colluvies, polluit peccati contagium: sed ad fontem configlio misericordiarum. Potentes me & ab iniquitate ablueri, & à peccato mundare. Intelligo egredi innocentem opprimens; peccatum feci mihi ipsi non parcer. Sciebat enim Propheta, quia cunctum molitur ladrus alium, prius proprio jaculo percudit semetipsum. Quid crudelius, quam semetipsum occidere? Si os mentientis occidit animam, quanto magis gladius ferientis extinguit vitam? Unde scriptum est: *Miserere anime tuae, plaus Deo.* Et iterum: *Qui sibi nequam est, cui bona Eccl. 10.*

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper. IV.

Quasi diceret: Scio quem invocem. Justum invoco, qui & peccata odio habet, & ista impunita non dimittit. Sicut ejus misericordiam expeto, ita etiam justitiam ipsius attendo. Non sic postulo misericordiam accipere, ut velim ab eo justitiam suam auferre. Nolo ut peccatum meum remaneat impunitum. Sic misericordia est ut peccanti ignoscat; sic iustitia est ut peccatum impunitum non transeat. Sed quia peccatum meum ego ipse pavo, ideo ut

tu me non punias, tam vehementer exoro. Ideo agnosco, ut tu ignoscas. Ergo miserere mei, lava, munda, [quoniam iniquitatem meam ego agnosco: & peccatum meum contra me est semper.] Non posui super dorsum quod feci, non intueor alios oblitus mei. Non affecto de oculo fratris festucam ejicere, & trahem quae in oculo meo est, non considerare. [Peccatum meum contra me est semper.] Quicunque misericordiam Dei invenire desiderat, necesse est ut jam graviter peccata agnoscat, puniat culpas fletibus, faciem Domini in confessione præveniat, ponat ante cordis oculos & culpas operis, & ultimæ terrorre animadversionis: penitus quæm discretus judex veniat, qui ideo peccatores fustinet, ut eis conversis minus inveniat quod condemnnet. Ascendat tribunal mentis sue, constitutus ante se, videat fœditudinem suam ut corrigit, ne volens tandem videat & erubescat. Sit sibi judex incorruptus, torqueat eum timor, erumpat confessio, ut cum Prophetæ possit dicere Deo: [Iniquitatem meam ego cognosco.]

V. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Homo homini non peccat, quia eum aut par aut gravior culpa inquinat. Deus solus justè peccata ulciscitur, quia ipse solus est, in quo non potest inveniri quod puniatur. Quia ergo solus Deus parcit, solus justè judicat; ipsum solum ostendit qui peccat. Quid enim se quisque peccando dissimilem Deo facit, cō tremendam superni judicis majestatem offendit. Clamat ergo ad Deum peccator, clamet iniquitatum suarum conscius, clamet medullis cordis, & dicat: [Tibi soli peccavi,] quia tu solus es sine peccato: [Et malum coram te feci.] Ab aliis quidem peccatum meum ignorari potuit, te autem latere nequivit. Penetrabilior enim omni gladio ancipiit penetras usque ad divisionem animæ & spiritus, artuum quoque & medullarum, & discretor es cogitationum cordis. Nulla creatura in conspectu tuo est invisibilis: quia omnia nuda & aperta sunt oculis tuis. Intantum es sine peccato, ut etiam [justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.]

Rom.3,24 Scribit Apostolus, dicens: Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax; sicut scriptum est: [ut justificeris in sermonibus tuis.] Si Deus verax est, necessario in verbis suis iustus est. Nam si in sermonibus suis falsa veris insenseret, iustus omnino non esset. Sed absit à fideliū cordibus, ut esse in Deo mendacium putemus. Fidelis enim est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, sicut ipse etiam ait: Calum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Deum ergo veritas justificat, hominem vero mendacium condemnat. Sequitur: [Et vincas cum judicaris.] Prævidebat Propheta Deum in carne venturum, qui humano condemnandus esset iudicio, ut æternæ mortis homo careret tormento; ideoque ait: [Et vincas cum judicaris.] Quasi diceret: Omnes qui iudicati sunt, etiam si multū fuerint in virtute probedi, non omnino iustè subierunt iudicium; quia antequam iudicarentur, aliquo modo commiserunt peccatum: tu verò cùm mortis iustæ sententiam acceperis, quia solus homo inter homines ab omnibus peccatis es immunis, vincis ergo omnes iudicatos, cùm iudicaris: vel tu Deus Pater in Filio, vel tu Deus Verbum in homine assumpto. Quod tamen intelligi & aliter potest, quasi dicat: Ideo ut miserearis precor, ut laves, ut mundes: [ut justificeris in sermonibus tuis.] Id est, verax appareas in promissis. Promisi enim iustis regnum eternum, & virtutum amatoribus vitæ æternæ bravium præparasti. Sed nisi me & alios justifices, non poteris invenire quos non

A damnes. Justifica ergo me: [ut tu justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.] Judicant te, qui negant post lapsum reparationem fieri, & remissionem peccatorum nemini dandam adstrunt. Quos, si mihi peccatum remiseris, velut fabricatores mendacij & perverorum dogmatum cultores superabis. Vel justifica me, [ut justificeris in sermonibus tuis.] Promisisti enim quod de stirpe mea carnem sis assumpturus: sed si me de tanto non emundes scelere, de cuius semine carnem assummas videor indignus. Tu enim es qui dixisti: De fructu ventris *psalmus* tui ponam super fedem tuam. Lava me ab iniquitate, ne sim fraudatus à promissione. [Et vincas cum judicaris.] Judicatus Dominus vicit; quia unde in passione succubuit, inde majorem sui gloriam resurgendo manifestavit. Judicatus vicit; quia quorum ad tempus judicium moriendo subiit, eos justo iudicio condemnatos eterna morte mulctavit.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

VI.

Opus est Domine ut miserearis; quia ab inuite vita primordio in peccati foveam incidi, & concupiscentia carnalis fôrdibus inquinata nativitatis meæ initia contraxi. Non in me illa quam noviter adfisi, sola viget iniquitas; habeo in me etiam ex veteri quod ignoscas. [Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.] Non ideo homines in peccatis concipiuntur, quia peccatum sit conjugibus commisceri: hoc enim opus castum non habet culpam in conjugi, quia nuptiale fôdus non exorbitatâ fide. Deus enim copulam maritalem instituit, quando masculum & feminam in principio creavit. Qui quidem sine peccato filios ederent, si in paradiſo positi, in conditoris obedientia perficierent. Sed quia à statu rectitudinis primus homo peccando corrut, peccati pœnam ad filios misit. Carnalis enim delectatio pœna peccati est; quæ ex radice peccati ita contrahitur, ut nullus absque illa in mundo generetur. Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes *1.Cor. 15* viviscabuntur. Confiteatur ergo pœnitens de culpa quod meruit, ut consequi valeat de venia quod cupit.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientie tua manifestasti mibi.

VII.

Ideo vias meas à principio arguo, peccata mea ego ipse condemnabo, quia veritatem dilexisti. Veritatem Deus diligit; quia sine ultione delictum non deserit. Aut enim hoc homo in se puniens persecutur, aut postmodum Deus districto examine uilescitur. Sive ergo sit magna sine parva iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punietur à Deo iudicante; sicut per quemdam sapientem dicitur: *Sicens Iob. 9, d. quia non parceris delinquenti.* Delinquenti non *Liber. 9.* parcitur, quia sine vindicta peccatum non relaxatur. Veritatem itaque Deus diligit, quia iustum iudicium non prætermittit. *Incerta & occulta sapientie tua manifestasti mibi.* [Qui non est securus de munere venie, non est vehemens in executione vindictæ. Et quidem ante adventum Christi incertum fuit, si graviori lapsi possent habere veniam, & peccatorum remissio complures latuit: sed David, qui Redemptorem mundi ut peccata tolleret, futurum præviderat, de peccatorum indulgentia non dubitabat. Non ignorabat opus sapientie Dei à faculis absconditum, ante omnia tempora dispositum, exhibitum in fine saeculorum. Dei namque sapientia Filius Dei est, de quo scriptum est: *Christum Dei virtutum, & Dei sapientiam.* Ipse est per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Ipse est de *Ioan. 1, 4.* quo Propheta dicit: *Omnia in sapientia fecisti.* Dignum autem fuerat ut per eum fieret remissio, per

quem facta fuerat creatio : & ipse esset largitor gratiae, qui fuerat omnibus auctor naturae. Quam remissionem sicut in tempore gratiae confitentibus tribuit, ita ante adventum suum cum expectantibus prærogavit. Hac sunt incerta & occulta divina dispositionis consilia, omnibus gentibus per Dei sapientiam ultimis temporibus revelata. Quæ quia David per spiritum cognoverat, de Dei confidenter misericordia præsumebat. An non Ninivitis incerta erant, qui penitentiam agentes super prædicatione ^{tempore 3. c.} Jona, hæsiendo dicebant: *Quis sic si convertatur & ignoscat Deus?*

VIII. *Aasperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.*

*Hyssopus est herba humilis, saxo quidem adhaerens, & parum utilitatis in seipso sui facie ostendens, quæ tamen pulmonis inflationem deprimit, & virtutis sua acrimoniam si conteratur ostendit. Quid ergo per hyssopum, nisi Christi humilitas designatur? Ipsi est enim quæ omnem in nobis reprimit contumaciam, sicut herba illa pulmoni inflato adhibet medicinam. Quis etenim jam dedignetur in mundo se pro Deo abdicere, cum audiat Dei Filium opprobria & derisiones subiisse? Quis supplicium pro Deo perpetui arbitretur dederet, cum ipse Rex regum & Dominus dominantium morte turpissima propter nos sit condemnatus? Praefertim cum ipse sit nobis positus forma justitia, cuius & audiens imperia, & sequi debeamus exempla; sicut ipse in Evangelio ait: *Dilectice à me, quia misis sum & humiliis corde.* Juxta Legis quoque testimonium, inquit natos mundabat ejusdem herbe fasciculus, vacca rufa cruce intinctus. Quid autem per vaccam, nisi ad sacrificium assumpta incarnationis Dominicæ infirmitas designatur? Sicut enim per masculinum sexum solet fortitudo intelligi, sic & per femininum potest infirmitas designari: & de eo scriptum est: *Quia et si mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Ipsi est enim summus pontifex noster, qui in auctoritate pro totius mundi sanitatem, sui corporis hostiam obtulit. Pontifex videlicet futurorum bonorum, qui per proprium sanguinem in sancta, eterna redempzione inventa, semel intravit. Hæc autem vacca rufa dicitur, ut in ea fanguinis Christi rubor evideretur demonstretur. De quo in Canticis cantorum sponsa loquitur, dicens: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Candidus nimis ex divinitatis specie, rubicundus ex passionis cruce. Hoc itaque hyssopo ille sollemnmodo apergitur, qui vias Domini passionis imitatur. Sanctificatur vero aperitus, sicut per Paulum dicitur: *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitula aperitus inquinatus sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruendum Deo viventi?* Sequitur: *[Lavabis me, & super nivem dealbabor.]* Quemadmodum corpus aqua lavat à scualoribus foedum, ita gratia sancti Spiritus animam purgat à maculis peccatorum. Quod vero ait: *[Et super nivem dealbabor;]* ostendit quia nulla pulchritudo quæ inest corpori, valet decori sanctæ animæ comparari. Quid namque in corporibus nive candidus? Et tamen qui vias passionis Christi sequitur, super nivem dealbatur. De sanctis etenim scriptum est: *In his fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Quis vero ignorat solem nive candidiorem? Præterea candor nivis citò præterit, decor autem sanctorum in æternum manebit.*

IX. *Auditui meo dabis gaudium & letitiam, & exultabunt ossa humiliata.*

Tunc quidem verum & inestimabile gaudium

A habituri sunt sancti, quum impiis æterna morte multætatis, & in horrendam perpetui cruciatus voraginem per extremæ damnationis sententiam missis, audituri sunt: *Venite benedicti Patris mei, percipite re-* ^{Mat. 23.} *gnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* In eo autem quod ait: *[Gaudium & letitiam;]* duplicum sanctorum veneracionem intellige; qui visione claritatis in illa die, quantum cogitare non possumus illustrati, sicut animarum perfruent beatitudine, ita etiam corporis vestientur incorruptione. De ipsis enim scriptum est: *In terra sua duplicita possidebunt.* ^{1. Cor. 15.} Sancti etenim virtu mundi gloriantur mentis despectu calcantes, omnes in se carnales voluptates mortificant, ut in Deo postmodum perenniter vivant. Qui quoniam mundi miseras pro Deo pati minimè refugunt, beatitudinis æternae retributionem acquirunt. Quæ nimis beatitudo & animabus eorum ante resurrectionem tribuitur, & corporibus nihilominus post judicium conferetur; sicut in Apocalypsi Joannes Apostolus scribit, dicens: *Vidi sub* ^{Apoc. 6.} *altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Visquequo Domine sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum, de his qui sunt in terra? Et data sunt eis singula stola alba, & diademum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum & fratribus ipsorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.* Quid namque est singulas illis stolas albas tribuere, nisi animabus eorum beatitudinis æternae immortalitatem conferre? Quid vero est, donec electorum numerus impletus requiescere, nisi futuræ resurrectionis gloria expectare? In qua nimis iterum singulas stolas albas accipient; quia immortalia & incorruptionib[us] corporum suorum vestimenta resument. Quia ergo sancti viri ad æterna felicitatis premia non solum anima, sed etiam corpore post judicium transeunt, recte de eis dicitur, quia in terra sua duplicita possidebunt. Hujus incrementa felicitatis Prophetæ intuens, ait: *[Auditui meo dabis gaudium & letitiam, & exultabunt ossa humiliata.]* Animarum nostrarum ossa virtutes sunt, quæ nimis in hac vita humiliantur, quia assidue tentationum impugnationibus indefiniter turbantur. Tentatio enim est vita hominis super terram; in æterna autem vita non solum invictæ potestatis accipient fortitudinem, sed etiam nullam vitiorum adversantium sentient impugnationem.

X. *Averte faciem tuam à peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.*

Quia peccata sua semper habet præ oculis, meritò rogat ut Deus faciem suam avertat ab ipsis. Superiori nempe Prophetæ dixerat: *[Peccatum meum contra me est semper.]* Qui ergo peccatum suum semper videbat, continuum pro eo dolorem in corde gestabat. Et ideo oculos ab ejus peccato Deus avertit, quia ipse illud sine cessatione animadvertisit. Non enim Deus eorum peccata, qui in occulto cordis de pravorum operum memoria affliguntur. Qui nimis ad hoc semetiplos judicant, ut terrible omnipotentis judicium evadant, juxta illud Apostoli: *Si nosmetipos dijudicaremus, non utique iudicaremur.* At contraria reprobi, quia ea quæ commiserunt, nequaquam conficiunt, actus suos à conspectu judicis non abscondunt. Et quando magis errores suos ipsi considerare refugunt, tandem magis eos conspectu divina majestatis opponunt. Delinquentum autem mala Deus videret, non ut approbet, sed ut condemnet: non ut foveat, sed ut puniat: non ut semper patiatur, sed ut in iudicio ulciscatur. Denique oculi Domini super facientes malas, ut perdat de terra memoriam eorum. Gravis ulti, non solum de terra mala facientes expellere, sed etiam omnem penitus memoriam eorum abolere.

abolere. Consideremus ergo mala quæ fecimus, & ea ante mentis oculos sine intermissione ponamus: ne cùm ante judicis illius conspectum venerimus, tunc primum quidquid gesserimus, nolentes videamus. Impenitenti enim Deus terribiliter minatur, dicens: *Existimasti iniquè quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Similis tui essem, si peccatum tuum impunitum dimitterem. Tu enim illud non solum non vis punire, sed & post tergum projicias, ne possis videre. Ego autem qui illud video, quid faciam? Numquid impunitum dimittam? *Judex sum & justus, judex sum & ulti iniquitatum.* Quomodo ergo injustè judicabo? Quomodo veritatem mendacio mutabo? Tacui, numquid semper tacebo? Tacui, quia misericordiam prærogavi. Iniquitatem tuam diffimulavi, tempus poenitentiae indulsi. Sed numquid semper tacebo? Immo *arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Arguam quidem te de mendacio, quando cordium confilia manifestabo. A peccatis tuis averteris oculos tuos, & quamdam tibi vanæ spei securitatem promittis. Et quia ipse te non vides, quod nec te videam suspicaris. Putas quid te non videam fornicantem, quem video adulterium cogitantem? Ex hoc itaque te arguam, & statuam contra faciem tuam. Si non vis hic attendere faciem tuam, faciam ut agnoscas miseriaram tuam. [*Et omnes iniquitates meas dele.*] Per Prophetam Dominus dicit: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memori non ero: in autem memor eseo, & judicemur.* Audi qua conditione iniquitatum tuarum te esse immemorem dicat, videbieris si tu memor fueris. Cave ergo ne unquam quod deliquisti, à memoria tibi excidat, aut aliqua oblivione peccata tua oblites: ne si carnalium voluntatum illecebris captus, iniquitatum tuarum memor non fueris, dicatur tibi in tempore necessitatis;

Ps. 49. ad Proiecisti sermones meos retrorsum.

XI. Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Mar. 5. a In Evangelio scriptum est: *Beati mundo corde.* Si illum qui ab omni peccato mundus est, in cordis nostri hospitio habere volumus, oportet primò ut illud ab omni vitorum forde purgemos. Emundemus ergo interiora mentis nostræ, & diligenter peccatorum nostrorum secreta scrutemur, ne ex affectu nostro peccati delectatio pullulet; ne turpe desiderium cor in occulto titillat, ne passionum ex eo contentiones prodeant, ne perversarum cogitationum dispensationes aliquando erumpant. Templum enim Dei non potest esse pollutum, quia scriptum est: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Verum quis gloriaribz mundum se habere cor, aut immunem esse se a peccato? Si Propheta pollutum labii se esse alferit, cuius os Seraphim carbone quem suscepserat de altari, purgavit: quid dicturi sumus nos, quos luxuria inquinat, invidia angustat, ambitio præcipitat, superbia exaltat? Non est enim virtutis humana ita ab illicitis motibus mundare animum, ut perstrepitudo voces non sentiat cogitationum. Sed quia Deo nihil est impossibile, clamemus ad Deum tota virtute: [*Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.*] Vide ordinem: primò cor mundum, deinde spiritum rectum Propheta à Deo requirit. Prius enim abrenunciandum est tibi omni peccato, & omnis à corde vitorum fecitas eliminanda; ut omne quod agitur aut dicitur, eò purum in conspectu Dei ac lucidum appareat, quod ex bone intentionis origine quasi de puro quadammodo fonte manat. Quomodo enim poterit esse perspicuum, quod in ipsa origine fuerit vitiatum? Scriptum est enim: *Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* Omnibus igitur carnalibus de-

S. Greg. Tom. III.

A sideriis à corde exclusis, pete à Deo ut spiritum rectum renover, ne forè spiritus ille immundus inventiens domum de qua exivit vacantem, assumptis aliis septem nequioribus se, cum eis ibi haberet, & fiant novissima tua pejora prioribus. Hæc est autem spiritus recti innovatio, ut omnem mundi gloriam mente despicias, mentem medullitus in conditoris tui amore infegas, illatis contumeliis patientiam custodias, & custodit patientia dolorem à corde repellas, omnibus te per humilitatem inferiorem deputes, de morte inimici nullatenus exultes, aliena non ambias, propria egenitibus distributas, amicum in Deo, & inimicum propter Deum diligas, in afflictione proximi te ipsum per compunctionem affligas. Hæc quidem est illa spiritus innovatio, quam persuader Apostolus, dicens: *Renovamini spiritu mentis vestre, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.* Et iterum: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transiunt, & ecce facta sunt nova.* Ad veterem quippe hominem pertinet, mundi hujus gloriam concupiscere, animum à Deo avertere, patientiam non servare; opportunitatem vindictæ exquirere, melioribus quibusque despiciens superbire, aliena diripere, propria retinere, nullum propter Deum diligere, de inimici morte gaudere. Hæc autem omnia ille respuit, qui Deum induit, quique in novitate vitæ ambulare contendit.

C Ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

A facie Dei projectur, cui spes venie post peccatum negatur. *Qui enim peccaverit in spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saculo, neque in futuro.* Quis est autem qui peccat in Spiritum sanctum, nisi qui non credit remissionem peccatorum? Remissio enim peccatorum, opus Spiritus sancti est. Nam & de baptismo Christi, in quo remissio peccatorum danda erat, dixit Joannes: *Ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igne.* Unde etiam super baptismatum Dominum in columba specie Spiritus sanctus descendit; ut ex hoc aperte ostenderet, quia spiritualis gratia per lavacrum baptismatis credentium corda mundaret. An non in Spiritum sanctum Caïn peccavit, quando dixit: *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear?* Et quia de venia desperavit, ideo dixit: *Ecce ejus me à facie tua.* De quo & postea subditur, quod egressus sit à facie Domini. Vides quemadmodum ille qui in desperatione foveam habitur, à facie Dei projectatur. [*Et spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*] Attende qualiter postulat, ne spem venias post peccatum amittas. Ubi Spiritus sancti præsentia est, ibi desperatio esse non potest. Fides enim in spiritu datur, sicut Apostolus ait: *Denique ipse postulat pro nobis gemitibus innenarrabilibus.* Et nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. Nam in eo clamamus: *Abba pater,* quia scriptum est: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.*

E Redde mihi latitudinem salutaris tui, & spiritu XIII. principali confirmata me.

Lætabatur Propheta de adebeatu Filij Dei antequam peccaret: & certus quod de suo nasciturus erat feminine, antequam laberetur gaudebat. Sed postquam uxoris Uriæ amore deceptus modum in peccando non habuit, ne fibi Deus hoc offensus subtraheret, quod antea placatus promiserat, formidavit. Ideoque ait: [*Redde mihi latitudinem salutaris tui.*] *1. Tim. 2.* Salutaris quis est, nisi Dei hominumque mediator? *1. Cor. 12.* De quo iste idem Propheta in persona Dei Patris dixerat: *Propter miserium inopum & gemitum pauperum psal. 115. hunc exogram, dicit Dominus. Ponam in salutari.*

CC

fiducialiter agam in eo. Exurgere enim dicitur Deus Pater, cum Filium mittit: qui quasi jacere visus est, cum servos misit. Illi enim neminem salvare potuerunt: sed filius hominis venit querere, & salvum facere quod perierat. Ideoque perfectam & manentem salvationem in eo se positurum adstruit, & in fiducialiter se dicit agere, quem constat nihil omnino peccati habuisse. Qui enim gravium sibi conscientiam est delictorum, non potest fiducialiter agere: quia poterit cum vel ille quem corripit reprehendere, vel conscientia propria remordere. Redemptor vero noster ed liberè loqui potuit, quod numquam peccati maculam ex nativitate, vel etiam ex operatione contraxit. Unde turbis Iudaorum & principibus fæderorum inadvertibus & detrahentibus ipse dicebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Fiducialiter ergo agebat, quem in nullo conscientia accusabat. Nam & de eo scriptum est, quod erat docens tamquam potestatem habens, & non sicut Scriba & Pharisei. Hujus ergo salutaris sibi reddi lætitiam David postulat, in quo omnis ante adventum ipsius electus sperabat. [*Et spiritu principali confirmam eum.*] Solet quibusdam contingere, ut dum se purgatos per satisfactionem reputant, ab interne mentis custodia animum resolvant. Qui quidem ipsa sua elevatione depresso, & deterius corrunt, quod sibi de indulgentia blandientes, vanæ spei securitatem promittunt. Inde est quod Propheta exorat, dicens: *Pſ. 85. Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Non dicit læteratur, ut securum sit; sed lætetur, ut timeat. Ac si aperte dicat: Ita me correctum facio gaudere de venia, ut tamen numquam desinam esse suspectus de culpa. Sic & in hoc loco, postquam sibi reddi salutaris Dei lætitiam petuit, ne sibi dimissus ad deteriora proueret, illico adjunxit: [*Et spiritu principali confirmam eum.*] Sciebat enim quia infirma est omnis anima, nisi sancti Spiritus fuerit virtute firmata. Nam & de Apostolis dictum est: *Verbo Domini cali firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Quid enim cælorum nomine, nisi sancti Apostoli designantur? Qui nimur verborum imbris terram cordis nostri inebriant, venturi iudicij minis & terroribus intonant, miraculorum signis & operum sanctitate coruscant. Denique ipsi sunt, qui enarrant gloriam Dei. Quibus profecto tunc Spiritus virtutem tribuit, cum in igne linguis apparen, in cordibus eorum divini flamas amoris accedit. Quod quidem aperte cognoscere possumus, si quales ante, quales post adventum sancti Spiritus fuerunt, perpendamus. Qui enim ad passionem tendentem magistrum fugientes reliquerunt, postmodum per adjunctionem sancti Spiritus gratiam roborti, constanter & publicè nomen Christi prædicabant. Nam ut reliquos prætermittamus, ipse Apostolorum princeps qui mori metuens vitam negaverat, quum facto convenit, cæsis Apostolis, facerdotes & Scribæ ne in nomine Christi loquerentur, prohiberent, aiebat: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Cælorum igitur virtus de Spiritu sancto est, quia per infusionem sancti Spiritus gratiam facti sunt in Christi confessione fortis Apostoli, qui prius fuerant ex fragilitate carnis infirmi. Nisi enim promissa charismatum dona illi Dominici gregis pastores susciperent, eorum corda nullo virtutis decoro claruissent. Hæc namque virtus Spiritus, sicut ab omni peccatum & mortis timore quos repleverit efficit liberos, ita ab omni diabolice reddit temptationis incurru securos. Merito ergo cui salutaris Dei in remissionem peccatorum laetitia redditur, postulat ut in vera innocentia spiritus principalis virtute confirmetur.

XIV. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur.*

Ilos divina clementia à peccatis per remissionem

A efficit liberos, quos prævidet utilitas Ecclesia post conversionem profuturos. Unde Anania de Saulo dixit: *Vade, quoniam vas electionis miba est iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël.* Magno igitur fructu dimissa sunt illi à Deo peccata. Qui enim prius blasphemus, & persecutor, ac injuriosus extitit, postmodum plus omnibus laboravit. Propheta ergo qui deleri iniquitates suas, & Spiritu sancto confirmari à Domino postulat, quod non sine fructu hoc sit futurum affirmat, dicens: [*Docebo iniquos vias tuas.*] *Vniversa vie pſ. 1. Tim. 1. Domini misericordia & veritas.* Misericordia est, qua sine ullis precedentibus meritis, pœnitentibus veniam tribuit: veritas, qua post gratiam vocations & venie, peccata impœnitentium punit. Ille ergo cui peccata dimisit, vias Dei iniquos docet, cùm peccantibus si resipuerint, exemplo sui spem tribuit venie, & inconvertibilibus, nisi ad veniam redeant, infert timorem gehennæ. [*Et impij ad te convertentur.*] O quam utilis est peccatorum remissio, que conversos non solum à peccatis liberos efficit, sed etiam alios à via impietatis & iniquitatis retrahit, flamma charitatis accedit. Haec est enim charitatis evidens probatio, ut cui per gratiam Dei contigerit à peccatorum vinculis eripi, ipse ex zelo iustitia studeat ad spem venie delinquentes hortari. Nullum quippe tam gratum Deo est sacrificium, quam zelus animarum. Exerceat ergo se in via Dei, cui Deus peccata dimisit, & exemplo suo peccatores quoque ad pœnitentias confugere medium aduocet. Non sit arbor infructuosa, aut otiosus operarius; sciens quia non solum manè venientibus ad vineam merces promittitur, sed etiam circa undicimam horam vocatis, vita eternæ denarii præbetur.

Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam. XV.

Nisi primitus me à peccatis liberaveris, non potero aliis esse exemplum conversionis. Libera ergo me de sanguinibus, desiderii videlicet carnalibus, quæ *1. Pet. 1. b* militant aduersus animam. *Caro enim & sanguis re- 1. Cor. 1. pgnum Dei non possidebunt.* [*Deus Deus salutis meæ.*] *f* Nota in repetitione nominis magnum affectum cordis, quasi dicat: Merito te ut me salves invoco, quia tu solus es auctor salutis meæ. Nam *Domini est pſ. 3. b salus.* A te solo est salus, quia ab omnibus aliis est *Ecclesi. 4. infirmitas, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* *pſ. 32. Non salutare per multam virtutem, & gigas non salvabitur in multiudine virtutis sue.* Denique fallax equus ad salutem. Ex quibus verbis colligitur, quod nec ex divitiis temporalibus, nec ex corporali fortitudine salus acquiratur. [*Et exultabit lingua mea iustitiam tuam.*] *Justitia Dei, fides est, sicut scriptum est: Credidit Abraham Deo, & repu- Gen. 15. tam est illi ad iustitiam; quia justus ex fide vivit.* Si *Rom. 3. b* ergo justi vita, fides est; consequens est; eamdem fidem esse justitiam, sine qua quisque esse justus non potest. Hanc itaque Dei iustitiam ille cum exultatione enunciat, qui nec mundi hujus copiam cupiens, nec inopiam metuens, omnem hereticam pravitatem impugnat. *Vel justitia Dei est, quod non vult mortem peccatoris.* Homini nempe justum videtur, ut suam ulciscatur injuriam: *Dei vero justitia, est consitenti relaxare offendit.*

Domine labia mea aperies, & os meum an- XVI.
nunciabit laudem tuam.

Non aliter iustitiam tuam proferre potero, nisi ut labia mea aperias. Tu es enim, qui ora super rborum sap. 10. obstruis, & linguis infantium difertas facis. Hactenus os meum ego ipse aperui, & ideo ex vaniloquio pecatum contraxi. Nunc vero ut tu aperias desidero,

quia nihil nisi quod suggesteris loqui concupisco.
Illiū labia Deus aperit, qui non solum quid loqui-
tur, sed etiam quando & ubi & cui loquatur atten-
dit. Sapientia namque Dei dicit: *Dominus dedit mihi
linguam eruditam*, quando scilicet oporteat sermo-
nem dicere. Merito ergo sapiens est, quia accepit à
Domino que tempore sibi loquendum sit. Unde

Ecclesiastes 20 non inconvenienter ait Scriptura: *Homo sapiens ta-
cebit usque ad tempus*. Hinc rursum scriptum est: *Ori-
tuo fac ostium & vestem, & in verbis tuis jugum &*

psalmi 140. d *stateram*. Et fortasse hoc ostium sibi Propheta postu-
labat à Domino, cum dicebat: *Pone Domine custo-
diam ori meo, & ostium circumstantia labii meis*.

Debemus enim os nostrum claudere, & diligenter obser-
vare, ne quis in iracundiam exciter vocem no-

stram, & contumeliam rependamus cōtumelias. Ju-

l *im* etiam in verbis nostris esse & statera præcipi-
tur, ut omne quod loquimur, & humilitate condia-
tur, & mensura ponderetur. Proferamus ergo ser-
mones examinatos librā justitiae, ut sit gravitas in

sensu, modus in verbis, pondus in sermone. Nec
prius loquendo os aperiamus, quām expediāt; sed

examīnemus verba nostra, si tacendum hoc, si dicen-
dum adversus hunc, si tempus si sermonis hujus,

postremo si à virtute modestia non dissentiat. Nihil
indecens, nihil in honestum, nihil invidum sonans
erumpat. Verūm quia ad hæc omnia idonei esse

possumus, nisi hoc à largitorē omnis gratia percepia-
mus, exclamandum est nobis cum Propheta: [*Do-
mine labia mea aperies, & os meum annunciat lau-
dem tuam*.] Non est spacio laus in ore peccatoris.

Ideoque Propheta indulgentiam peccatorum primū
à Domino exponit, & postmodum laudem se Dei an-
nunciaturum esse promittit; nobis patenter innuens,
quia illi soli laudis Dei possunt sentire dulcedinem,

qui peccatorum suorum meruerint percipere remi-
fionem. Unde scriptum est: *Rectos decet collaudatio*.

Quid autem laudabilius in Doo, quām misericordia?

Scriptum namque est: *Confiteantur Domino miseri-
cordia ejus*. Denique *misereratione ejus super omnia
opera ejus*. Quamvis enim laudabile sit quod homi-
nem de lino terra condidit: laudabilius tamen

est, quod perditum proprij filij morte redemit.
Denique illud potestatis est, hoc gratia. [*Et os
meum annunciat laudem tuam*.] Sunt enim ple-
rrique qui non ore laudant Deum. Numquam suo

D laudar ore Deum avarus: numquam suo ore lau-
dar luxuriosus. Nonne quasi alienum os tibi videtur

proficerē, dum ea conatur qua in corde non sentit
proferre? de quibus profecto scriptum est: *Cor eorum
longè est à disciplina, propriea non exultabit*:

quia nimur eorum laus ad omnipotentis Dei au-
res nequaquam extollit, quorum cor à semita
justitiae per pravæ intentionis studium elongatur.

Tales erant illi, de quibus Dominus dicebat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè
est à me*.

XVII. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissim
utique: holocaustis non delectaberis.*

Sciebat Propheta per spiritum, quia illa legalium
instituta sacrificiorum, ad invisibilis essent oblatio-
nis intelligentiam transferenda: quia illud verum &
acceptabile est sacrificium, quod aliquis puro corde
laudat Deum. Unde & alio in loco dicit: *In me sunt
Deus vota tua qua reddam, laudationes tibi*. Et iter-
um: *Immola Deo sacrificium laudis*. Et rursum: *Sacrifi-
cium laudis honorificabit me*. Cū ergo dixisset:

[*Os meum annunciat laudem tuam*.] Illoco subjunxit: [*Quoniam si voluisses sacrificium, dedissim utique: ho-
locausis non delectaberis*.] Ideo nolo confidere in

carnalis ritu sacrificij, quia scio te hircorum & arie-
s. Greg. Tom. III.

A tum occisione non delectari. Tu es enim qui dixisti: *Ibid.
Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregi-
bus tuis hircos*.

*Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor XVIII.
contritum & humiliatum Deus non despicias.*

Nequaque verè poenitentiam agit, qui ex pecca-
torum suorum recordatione quamdam spiritus tri-
bulationem non sentit. Quod quidem reprobis fa-
miliare est; quia etiā aliquando peccata sua confe-
tentur, et tamen distracta animadversionis fletibus
non perseguuntur. Electi verò etiam si minimā sint
qua in se punienda inveniunt, zelo rectitudinis con-
tra se erexit, ad poenitentia se lamenta studiose suc-
cendent. Qui dum sanctæ contemplationis pennis ad
celestia se intuenda erigunt, eò subtilius si quid in ip-
sis vitiosum latebat inveniunt, quod ad divinæ lucis
claritatem vicinius accedunt. Tantoque eis displicet
quod infirmum ex carne tolerat, quantè eos dele-
cat quod ex incorruptibili virginitate degulfiat.
Unde sit quod gravi in seipso pro otiosis verbis,
vel pro vanis cogitationibus invectione deficiant;
& que levia antī ediderant, mox ut gravia &
mortifera perhorū ant. Beneficia sibi divinitus col-
lata conspiciunt, culpas nihilominus anteactas ad
memoriam reducent. Vitæ hujus corruptibilis æ-
rumnos necessitates enumerant, quanta sit celestis
gloria felicitas, in meditatione pertractant. A qua
quia per carnis fragilitatem retrahit se sentiunt, vali-
dissimi scipios interius vulnere doloris transfigunt.
Dum ergo hæc omnia ante mentis oculos intenta
consideratione recolligunt, vehementissima tribu-
lationis igne intrinsecus inardescunt. Hæc est illa
spiritualis lanctorum tribulatio, quam in cordibus co-
rum generat poenitentia & desiderij dilati amaritudo.
Hanc nimur Job sentiebat, cum dicebat: *Lo-
quar in tribulatione spiritus mei*. Electorum eterni
linguis tribulatio spiritus commoverit, ut reatum pra-
vi operis vox confessionis impugnet. [*Cor contritum
& humiliatum Deus non despicias*.] Multi habent cor
contritum, qui non habent cor humiliatum. Sunt
enim plerique, qui etiā peccata sua fletibus puniant,
pauperes tamē opprimere potestatis suæ dominatio-
ne non cessant. Hi nimur nequaquam puri sacrifici-
iū Deo offerunt; quia derelictibilis superbia illud ad-
mixtione corrumpit. Vel sic ut beatus Hieronymus *s. Hieron.*
hunc locum exponit, illi cor cōterunt, sed non humili-
ant, qui peccata quidem que commiserunt deflent,
in hunc *r. Gal.*
sed tamen eadem committere etiam post fletus non
timunt. Dum enim errorum suorum consideratione
revocari, ad ea quæ dimiserant redunt, se contra
conditorem suum per opera pravitatis extollunt. Ex
superbia namque vitio est, timorem Dei contemne-
re, conditoris præcepta pravæ actionis transgressio-
necalare, celestis vitæ gaudia manūta negligere,
damnationis perpetua infinita supplicia non time-
re. Illorum ergo sacrificium Deus non accipit, qui
lacrymis quidem se compunctionis ablunt, sed ei-
dem, à quibus ante mundati esse videntur, pecca-
torum maculis, in idipsum revertentes sordecent.
De talibus scriptum est: *Qui baptizatur à mortuo,
quid profest lavatio ejus?* Ille quippe lavatur à mor-
tu, qui per poenitentiam mundatur à peccato. *Ecclesiastes 4*
Quem si contigerit eadem quæ punierat, iterando
peccata committere, nihil contulisse videtur adhi-
bita satisfactionis lavatio, quem maculavit inhone-
stus iterata facinoris turpitude. Quia igitur scri-
ptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat
gratiam*: illos qui superbiendo ad peccata redeunt,
divina justitia respuit. Illos verò qui continent
& humiliando poli tergum non respiciunt, clemen-
tia Dei non despicit; quia scriptum est: *Prope eis
Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spi-
ritu salvabit*.

XIX. Benignè fac Domine in bona voluntate tua A
zion, ut edificantur muri Hierusalem.

Sion speculatio interpretatur, per quam sancta significatur Ecclesia. Quæ in eminentioribus virtutum & scientiæ locata, vestigis, & cælestem patriam à longè prospicit, & irruentes spirituum inimicorum cuneos interiori intuitu deprehendit. Cui Deus tunc benignè fecit, quando filium suum in mundum misit. Veniens autem Filius Dei, quam de diabolica potestate eripit, sanctam sibi Ecclesiam in unitate spiritus confederavit. De quo Joannes ait: *Qui habet sponsam, sponsus est.*
Ioan.3.4
philip.2. Quid autem benignus, quām Filium Dei servilem formam induere, mortis legibus subjacere, proprio sanguine nos redimere, eternæ vite adiutum, quem culpa obstruxerat, aperire, corpore suo nos pascerre, & de tenebrarum potestate erutos, ad cælestem gloriam & ad regnum nos lucis transferre? Quid denique benignius, quām quod Deus tradidit filium, ut redimeret servum? Benignitatem nihilominus Dei quotidie sentit Ecclesia, cùm illam Deus claritate sue cognitionis illuminat, inter scæli turbines fluctuantem spiritus sui virtute confirmat, suavitatis intima delicias reficit, atque per eam peccantibus peccata dimittit. Et notandum quid ait: [In bona voluntate tua.] ut intelligas nihil perfectum haberi posse ex meritis, sed tantum conferri gratuito munere divinæ miserationis. [ut edificantur muri Hierusalem.] Per Hierusalem, quæ visio pacis interpretatur, sancta anima accipitur, quæ futuram sanctorum pacem mentis intuitu conspicit, & omnibus in se mortificatis hostibus, illicitorum motuum impugnationem non sentit. Cujus muri virtutes sunt: quos ille nimirus ædificat, qui ex operibus iustitiae & pietatis, spirituale construere ædificium non cessat. Unusquisque autem Hierusalem, aut Babylonis civis est. Sicut enim per amorem Dei sanctus quisque Hierusalem civis efficitur; ita per amorem scæculi, omnis iniquus in Babylonie strudura operatur. Ad confruendum autem hujus spiritualis Babylonie ædificium, perversi quisque illius antiquæ Babel imitantur exemplum. Cujus, teste sancta scriptura, civitatis auctores, & pro axis lateres, & pro camento bitumen habuisse leguntur. Per quod intelligitur quid mundi amatores carnalis vita construant municipium, quod ad vim ventorum, & impetus fluvij, facilis impulsu velociter est subruendum. Notandum verò est, quia illi de quibus agitur, de Oriente venisse, & in campo Sennar habita peribentur. Cū enim Christus verè sit Orientis Propheta attestante qui ait: *Ecce vir Orients nomen ejus;* de oriente veniunt, qui à Christi consortio malè vivendo recedunt. Sennar autem interpretatur excusio dentium, sive fœtor eorum. In campo ergo Sennar habitant, qui post non in cœlitidine virtutum, sed in planicie vitorum, & detractionum mortibus proximos lacerant, & in otiose vita volutabro jacentes, infamia sua circumquaque fœtorem exhalant. Quorum dentes tunc omnipotens excutit, cùm illorum facta simul & verba confundit. Unde per Prophetam scriptum est: *Dentes peccatorum contrivisti.* Et iterum: *Dominus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus.* Nam de fœtore eorum per alium Prophetam scriptum est: *Computuerunt jumenta in fœtore suo.* Computare scere jumenta, est carnales homines in fœtore luxuria vitam finire. Et Isaias ait: *Et erit pro suavi odore fœtor, pro zona funiculus.* Quis nimirus hi pravæ operis fœtorem emitunt, qui abjecto cingulo casitatis, funiculum intexunt lalœvia. De quibus dicitur per Prophetam: *V& quæ irabit peccata sicut reslem longam.* Meritò ergo qui in Sennar habitant, de lateribus civitatem ædificant: quia qui terrenis dediti sunt, voluptatibus

carnis inferiuntur, de fragili materia mentis mutationem attollunt. Ceterum qui contempta terrenarum opum cupiditate, & carnalis vita abdicatis illebris, per opera sanctitatis virtutum in seipsis sanctificationem accumulant, hi profectè lateres in lapides mutant. Et neque in arena mundane confidient spiritalem strukturam erigunt, sed in petra fidei, quæ Christus est, atria nulli excidio obnoxia, ad similitudinem Evangelicæ illius parabolæ constituant. Tales *1 Cor. 10* nimur rectè cum Iaia possunt dicere: *Lateres ce-
cididerint, sed quadris lapidibus ædificabimus, sicut oros
Mar. 7.1* *succiderint, sed cedros immutabimus.* Lateribus quippe cedentibus, lapidibus quadris ædificat, quicumque carnis lasciviam disciplina strictioris rigore castrat; qui membrorum legem, mentis lege superat; qui corporis fortitudinem, spiritus virtute communitat. Hinc namque per Prophetam dicitur: *Qui cor-
fidunt in Domino, mutabunt fortitudinem.* Qui dum non dixit, accipient, sed mutabunt; aperte ostendit, quia alia est fortitudo que depontur, & alia qua noviter inchoatur. Habent enim sancti vii suam in hac carne positi fortitudinem, cùm vel pro fide certantes, tormenta omnia constantiæ virtute despiciunt, vel tentationes diabolicas armis spiritualibus protegunt repellunt. De eis namque per Salomonem scriptum est: *En letrulum Salomonis sexaginta fortis ambunt
Cant. 3.4* *ex fortissimis Israel.* Lectulum quippe Salomonis fortis ambunt, qui intimam nostri Redemptoris requiem, sancti quique indefessa desiderij sedulitate contemplantur. Hinc de sancta Ecclesia electorum dicitur: *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Qui *Pro. 31.1* enim ita se in virtutibus decorum exhibet, ut tam tentationum impugnationibus non repugnet, hic nimirus decore ad tempus induitur, sed fortitudine nequaquam vestitur. Quia verè sancti Dei & ex operibus iustitiae fulgidi, & ex adversariorum apparent impugnationibus vestiti, rectè de eis sub typo Ecclesiæ dicitur: *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Quisquis ergo infirma carnis fortitudine contempta, in virile spiritus robur animam excitat, quasi lateres in faxa, quibus muri Hierusalem edificantur, commutat. Possumus quoque per Hierusalem, illam sanctam civitatem accipere, quæ ex vivis lapidibus in cælis construitur, & sicut sponsa ornata viro suo à Deo paratur. De illa namque dicit Apostolus: *Illa Gal. 4.8* *autem quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater nostra.* Quæ meritò dicitur libera; quia ab omni corruptionis molestia invenitur aliena. Nec incongruè Hierusalem dicitur, quæ veram in seipsa pacem sine defectu experitur. Illa est enim civitas pacis, in quam nullus hostis ingreditur, & ex qua nullus civis egreditur. Civitas, inquam, cuius plateæ au- *Apoc. 21.1* *to mundo sternuntur, & in qua canticum læpitæ
g* indecenter cantatur. Quæ quidem, sicut scriptum est, non eget sole neque luna: quia cùm illa Deus præséntia sua claritatibus illuminet, impossibile est ut cam aliqua caliginis obumbratio obscuret. *Dens 1.10.1* *enim lux est,* sicut ait in epistola sua Joannes Apostolus, & *tenebra in eo non sunt ulla.* Quod si tanta est claritas solis, ut totam ortu suo terram illuminet, quanta astimanda est Dei claritas, qui & ipsum solēm condidit, & ei ad utilitatem nostram hanc quam cernimus luminis venustatem infundit? Hujus igitur Hierusalem muri ædificantur, cùm fideles ad vitam prædestinati, ad perfectionem justitiae deducuntur. Figuram autem hujus civitatis illud Salomonis templum gestavit, in cuius ædificatione lapidibus extratta, mallei sonitus auditus non fuit. In sacris enim ædificiis permansuri, adhuc foris per flagella tundimur, ut in templo Domini postmodum sine aliqua percussione discipline disponamus: quatenus quidquid in nobis superfluum, aut distortum est, modò percussio resecet, & tunc sola in cælesti ædificio concordia veritatis liget. Nec mirum si templum *Reg. 6.* *eadem civitas dicatur, quæ etiam tabernaculum dici-*

Apoc. 21. tur, sicut scriptum est : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.*

XX. *Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.*

*A*dificata cœlesti Hierusalem, sacrificium dumtaxat justitiae acceptum erit Domino ; quia ibi non erit opus offerri sacrificium pro peccato. In hac enim vita quia in multis quotidie delinquimus, oportet ut contriti cordis & contributari spiritus Deo sacrificium offeramus. In resurrectione autem, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, nec ullus sanctorum peccare postmodum poterit, nec quisquam ad Deum pro peccato orabit. In tantum namque peccatum delebitur, ut etiam pœna peccati omnino destruatur, sicut scriptum est : *Abiuncta est mors à victoria. Vbi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus?* *Stimulus enim mortis peccatum est.* Necessario ibi peccatum decessit convincitur, ubi mortis aculeus non inventitur. Non igitur oportet ibi offerri pro peccato sacrificium, ubi nec in cogitatione admittitur delictum. Sacrificium itaque justitiae sancti in æterna vita Deo offerunt; quia in solo conditoris amore intenti, indefessas remuneratori suo in lætitia cordis laudes dicent. Unde scriptum est : *Beati qui habitant in domo tua Domine, in scula sæculorum laudabunt te.* Et iterum : *Vox exultationis & salutis in tabernaculo justorum.* Tunc electorum suorum oblationes Deus acceptas habebit; quia sanctas eorum meditationes nullius pravitatis admixtio commaculabit. Holocausta nihilominus eorum accipiet; quia totum quod in eis erit, flamma divina charitatis accendet. Et [*tunc imponent super altare tuum vitulos.*] Altare, Dei Filius est, de quo ipse Dominus ait : *Altare de terra facies mihi.* Quid est enim aliud altare de terra facere, nisi de Dei Filij incarnatione non dubitare? Ipse est namque cui in hac vita cordium nostrorum sacrificia imponimus, & in quo cogitationes illicitas ne convalescant manamus. Unde scriptum est : *Beatus qui tenebit & allidet pavulos suos ad petram.* Ad petram quippe parvulos nostros allidimus, cum oriente motus illicitos, imitationis Christi intentione mortificamus.

I. *Cor. 1.* Scriptum est enim : *Petra autem erat Christus.* Ipse ergo est petra, ad quam cogitationes nostras teneamus : ipse altare, cuius clementia peccatorum vias imponere presumimus. Denique *peccata nostra ipse portavii.* Super ipsum ergo vitulos in æterna vita sancti scipios imponent; quia per gratiam Dei liberati à lege peccati & mortis, quod nulli iugis postmodum erunt subditi, totum attribuent gratia Filii Dei. Nullus enim hominum in cælum ascenderet, nisi Filius Dei pro salute nostra carnem sumpvisset. Vel certè vitulos super altare imponent, quum deposita primi hominis vetustate, & mortalibus exuti exuviis, facti vituli, id est, innovati & puri in perpetuum vivent. Quod si, ut præmissum est, secundum moralem intelligentiam ædificationem Hierusalem accipere volumus, hunc quoque versum eidem intellectui hoc modo convenienter aptamus. Dicendum est David regi à Domino : *Non tu ædificabis mihi dominum, quia vir sanguinum es: postea vero filius ejus re & nomine pacificus, & sapientia gratiam à Domino ultra mortales obtinuit, & templum mirifici operis, sicut liber historiarum attestatur, Deo Israël ædificavit.* In quo datur intelligi, quia dum cum hostilibus vitiorum cunctis, virtutum oppositione configimus, dominum sapientie nequaquam ædificare valemus : ubi vero superatus adversariorum agminibus, & passionum depulsa barbarie pacem in nobis factam, omnibus mentis imperii carne jam obtemperante senseri.

I. Pet. 2. *d* *Exod. 20. d* *Pf. 136.* *Cor. 1.* *Pf. 83.* *Pf. 117.* *S.* *RECO* *5m.3* *Exod.* *20. d* *Cor. 15.* *Rom. 4.4* *Phil. 2.4* *Heb. 10.6* *Col. 1.1* *Heb. 10.5* *Col. 1.1*

B A mis ; tunc corpus nostrum inviolabile templum Domino construimus : in quo & sacrificium quod ex zelo justitiae veritatem prædicantes offerimus, Deus accipit, & oblationes sanctarum meditationum, & igne ferventis desiderij ardorium orationum holocausta assumit. Super altare quoque cordium nostrorum ponimus vitulos, cornua producentes & ungulas, si hereticorum sententias utriusque Testamenti auctoritate noverimus comminuere, & virtutes à virtutis per studium discretionis separare. Per ungulas enim vitulorum, quæ finduntur, discretionem accipimus : per cornua vero, utriusque Testamenti præcepta notamus. Vel certè cornua producimus, si etiam in his quæ carnis sunt, Deo placere studeamus. Cornu namque cum de carnibus sit, carnem superexcedens durefcit. Quisquis ergo carnis infirmitate deposita etiam per carnis obscurum opera virtutis efficerit, quasi cornua de carne producit.

Pf. 68.

PROOEMIVM QVINTI PSALMI Pœnitentialis.

O Ratio pauperis cum anxius fuerit, & coram Domino effudierit precem suam.] Quis est iste pauper cuius in hoc Psalmo notatur oratio, nisi ille de quo ait Apostolus : *Qui cum esset dives, pauper pro nobis factus est?* Ipse enim ut nos divitiarum suarum efficeret participes, paupertatis nostræ suscepit necessitates. *Exinanivit namque semicupsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inveniens ut homo: humiliavit semes-ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Sicut autem pauper pro nobis factus est, ita & pro nobis auxiliatus est. Denique & pro nobis est morti traditus, & pro nobis in ligno suspensus. *Moribus est enim, ut ait Apostolus, propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Ex humana autem natura habuit ut anxiaretur, ex qua habuit etiam ut moreretur. Orat ergo caput nostrum in Psalmo hoc, ut illuc reducamur per gratiam, unde per primi parentis ecclidimus culpam. Potest etiam hæc oratio convenire unicuique, qui pauperem se esse intelligit, & suarum miseriae necessitatibus agnoscit : qui fallaces esse divitias saeculi istius considerat, & quam horrendum sit in manus Dei viventis incidere, pensat. Qui post tergum redditus oculis cogitat unde occiditur, & circumspicit omnibus quæ imminent, quas invenerit calamites attendit. Hæc itaque omnia ante mentis oculos omnis pauper congerat, & pauperem Christum pro nobis anxiatum considerans, misericordiam suarum multitudinem attendat : quanta gloria in Adam fuerit creatus recolligat, & in his omnibus anxiatus, non in oculis hominum, sed coram Domino precem suam effundat, dicens.

EXPLANATIO QUINTI PSALMI Pœnitentialis.

*D*omine exaudi orationem meam, et *psal. ci*
clamor meus ad te veniat.

*E*n hac oratione quam exposituri sumus, quedam lipsi attribuantur capiti, quedam nostræ conveniunt infirmitati. Nec mirandum, si ea quæ nobis solummodo congruant, quasi sint sua Christus pronuntiat. Unum quippe corpus est tota sancta universalis Ecclesia, sub Christo Iesu suis videlicet capite constituta. Unde ait Apostolus : *Ipse est caput corporis Ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Ipsa est enim quæ per Prophetam jucundatur, & dicit : *Nunc exaltavi caput meum super inimicos meos.* Pater enim Filium, qui est caput Ecclesie, super inimicos ejus exaltavit, quem destructo mortis imperio, in sua illumina statu equalitate.

Cc iii